

8. Ad quam classem in variis Systematibus relata fuerit ^{Genera ad} vel referri possit Musa nostra, in antecedentibus ^{quæ a Sy-} (§. 7.) dictum est. Superest itaque dicere ad quæ ge- ^{stematicis} nera Systematici hanc amandarunt: quum autem hæc ^{relata sunt.} e synonymis (§. 2.) facillime colligi queant, de ea re non multæ nos detinebunt verborum ambages. Convenere enim omnes in proprio & distincto ei assignando genere, exceptis modo *Hermannianis*, qui cum MESEMBRYANTHEMIS (*Ficoidibus*) nostram commiscuerunt.

III. GENUS.

9. *Genus* Plantæ omnis tum absolutum dicitur, cum tali caractere insignitum sit, quali a reliquis omnibus distingui queat. Tribus modis dari characteres antea (F. B. 186.) diximus, *Naturales* scilicet, *Essentiales* & *Artificiales*. Exhibebimus itaque eos singulis tribus hisce modis, ut ex iis cum sibi quis eligat, quem velit.

Naturalem a numero, figura, situ & proportionem ^{Cba. affer} ^{Naturalis.} omnium partium fructificationis desumptum characterem dedimus (pag. 14.). Hic autem recensere volupe erit omnes notas secundum quatuor prædictas dimensiones, in fructificatione nostræ plantæ obvias.

MUSA sub *Spatha* communi, persistente, duplices flores *hermaphroditos* fert, quorum inferiores *feminini*, superiores verò *masculini* sunt.

*. *Hermaphroditi feminini*.

CAL: *Spathæ* plures, simplices, alternæ, partiales, ovato-oblongæ, plano-concavæ, coriaceæ, coloratæ, caducæ.

Perianthium nullum: cujus loco *Germen*.

C

COR:

COR: inæqualis, ringens: *Labium superius* constituyente Petalo, *inferius* verò Nectario.

Petalum unicum, ligulatum, inferne connivens, superne planum, erectum, truncatum, quinquedentatum, denticulis revolutis.

Nectarium monophyllum, cordatum, naviculare, compressum, apice acuminato & inflexo, intra sinum petali receptaculo insertum, sessile, horizontaliter extra petalum, quo dimidio brevius, reflexum, pellucidum.

STAM: *Filamenta* sex, receptaculo inserta, quorum *quinque* intra petalum posita, petaloque dimidio breviora, erecta, parallela, subulata. *Antheræ* his nullæ.

Sextum autem filamentum, intra nectarium enatum, reliquis & nectario duplo longius, subulatum, horizontaliter cum nectario patens.

Anthera linearis a medio filamenti ad summitatem usque utrinque excurrit, sterilis.

PIST: *Germen* omnium maximum, longissimum, obtuse triquetrum, lateribus inæqualibus, gibbum versus alterum latus, sessile, infra receptaculum floris positum.

Stylus cylindraceus, erectus, longitudine petali.

Stigma capitatum, subrotundum, leviter compressum, obsolete sexfidum.

PER: *Bacca* maxima, oblonga, hinc gibba, coriacea, trilocularis.

SEM: plurima, receptaculo columnari adfixa.

*. *Hermaphroditi masculini*.

CAL: *Spathæ* prædictis simillimæ, sed superiores, pauloque coloratiores.

COR: ut in prædictis omnino.

STAM: *Filamenta* sex, receptaculo inserta, omnia longitudine petali, erecta, parallela, subulata. *Antheræ* lineares, didymæ, e medio filamenti ad apicem usque e pariete interiore excurrentes.

PIST:

PIST: *Germen* oblongum, subteres, rectum, sessile, infra receptaculum floris, corollâ minus.

Stylus cylindraceus, erectus, longitudine petali.

Stigma capitatum, obsoletum, prædicto minus.

PER: abortit.

SEM:

10. *Essentialis* vero Character, seu qui unicam alteramve notam continet, qua sola, primo intuitu distinguï possit, in hac nostra variis modis & quidem facillimo negotio construi potest, cum a reliquis omnibus plantis, quoad fructificationem magnopere differat. E. gr.

Characteres essentialis.

e Sexu.

MUSA est vegetabile duplici flore hermaphrodito instructum, altero feminæ, altero maris muneri apto.

e Calyce.

MUSA est vegetabilium genus flore incompleto, germine infra corollam diphyllam posito.

e Corolla.

MUSA est vegetabilium genus corollâ diphyllâ ringente, petalo quinquedentato ligulato & nectario naviculari.

e Staminibus.

MUSA est vegetabile flore hexandro, altero antheris instructo, altero iis destituto.

e Pistillo.

MUSA est vegetabile floris pistillo simplici, stigmate obsolete sexfido, subrotundo, ovario in aliis abortiente, in aliis fertili.

e Pericarpio.

MUSA est vegetabile, cujus Pericarpium est bacca trilobularis, oblonga, hinc gibba, inde recta.

e Seminibus.

MUSA est vegetabile, cujus semina vix unquam fecunda reperiuntur vel propagationi apta.

Characte-
res artifi-
ciales.

II. *Artificiales* autem *Characteres* duos modo adponam, quos apud Systematicos reperio, utrosque tam completos, ut iis modo folis persistentibus, ab omnibus aliis longe distinctissima sit Musa nostra.

PLUMIER gen. 24.

MUSA est plantæ genus flore polypetalo anomalo. Floris petalum superius scaphulæ instar excavatum inest, & in summitate trifidum; antè vero concavum, intè tandem peltatum, foliolisque duobus angustis & acuminatis stipatum. Calyx autem abit in fructum cucumeriformem, mollem, carnosum, cute obtectum, in tria veluti loculamenta divisum, in quibus apparent seminum quædam veluti rudimenta.

BOERHAAVIUS Ind. II. 171.

MUSA. Flores & fructus in racemo positi, vagina includuntur, ut in Palma.

Flos polypetalus anomalus, apici ovarii innatus.

Ovarium, cucumerinum, molle, triloculare, edule, seminibus fætum, tuba longa, apice globoso instructum.

Præter Horum Duorum, de re herbaria optime meritorum definitiones, nullas apud autores legi vel observavi.

Halluci-
nationes
Authorum
circa ge-
nus.

12. Ex datis Characteribus (§. 9. 10. 11.) sequitur quid respondendum ad dubia circa genus hujus plantæ passim apud autores obvia.

Palmæ

Palme generis speciem propugnant alii, alii negant; cum autem Palma posthac non genericum, sed classicum haberi debeat nomen, controversia hæc vana erit.

Musam a Palmis longe distinctissimam esse proclamarunt plurimi, alii proximam esse judicarunt. Ex dato Systemate (§. 7.) cum Medico summo Ind. H. L. B. 11: 171. ad Palmas, a veteribus & recentioribus sic dictas, proxime accedere concludimus.

Mesembryanthemi seu Ficoidis (quæ Synonyma sunt) species facta fuit (§. 8.) *Musa* nostra, cum quo tamen genere nulla intercedit affinitas, ut patebit conferenti:

CALYX	in <i>Mesembryanthemo</i> est Perianthium quinquepartitum. in <i>Musa</i> verò Perianthium nullum.
COROLLA	in <i>Mesembr.</i> æqualis, multipartita. in <i>Musa</i> ringens, diphylla.
STAMINA	in <i>Mesembr.</i> numerosissima. in <i>Musa</i> tantum sex.
PISTILLUM	in <i>Mesembr.</i> quinquefidum, tenue, acuminatum. in <i>Musa</i> autem simplex, capitatum.
PERICARPIUM	in <i>Mesembr.</i> capsula calyce circumdata. in <i>Musa</i> vero Bacca nuda.

Conclusio: quæ flore & fructu differunt, non sunt conjungenda: per consequens nec *Musa* & *Mesembryanthemum*.

Ficus speciem inepte admodum fecere veteres, fructificationis principii ignari, neque opus ideo erit ut argumentis, a fructificationis principio desumptis, eorum sententiam destruamus.

13. Genus itaque *Musæ* distinctissimum est ab omnibus aliis notis, nec ulli adeo affine, quin facillimo distinguatur. Genus naturale demonstratur.

queat negotio. Proxime quidem accedit ad *Cannam* & *Amomum*, sed quantum etiam ab hisce differat, ex datis characteribus (pag. 14. & 15.) patet.

Nomen
genericum
demon-
stratur.

14. *Nomen* etiam *Musæ* omnibus aliis præferri judicamus, & cum sit *Synonymum* FB. 244. *antiquissimum* FB. 242. *officinale* FB. 241. a *Dea* FB. 237. vel *Botanico* FB. 238. assumtum, retineri debere constat. Falsa vero & erronea sunt *Palma* FB. 254. *Ficus* FB. 214. *Palma* FB. 229. *Margarita* FB. 230.

IV. SPECIES.

Descriptio
subje-
cti
secundum
partes
plantæ.

15. *Descriptio* plantæ nostræ florentis sequens est.

Radix subrotunda, carnosæ, annulis nonnullis distincta, filamentis plurimis instructa, spithamas duas fere longa, exterius fusca, interne alba, aquoso-subdulcis.

Truncus est *Culmus* altitudinis humanæ, teres, glaber, squamis imbricatis vestitus, crassitie in peripheria ad basin spithamæ unius cum dimidia, ad apicem verò tantum unius. *Squamæ* istæ caulē involventes sunt tunice crassiusculæ, apice mutilatæ, numero sedecim ad viginti, inferiores exteriores, per gradus breviores, singulæ basin suam intra inferiores occultant, ut nullibi nudus videatur culmus.

Folia culmum terminant, (cum primum erumpunt convoluta) numero sæpius novem, ovato-oblonga, obtusa, longitudine circiter humana, latitudine pedis unius, erecta, patentia, plana, lateribus leviter flaccida, integerrima, margine fusco cinctæ, utrinque glabra & viridia, nervis transversalibus, & linea longitudinali ad angulum rectum egredientibus. Nervi hi ubique æqualis crassitie, singuli spatio unius unguis inter se remoti, alterni
mi-